



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quomodò ieiunio nobis Deum placamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ieiunium, quod fit ad laudem Dei in abscondito, Mat. sexto, & hoc Deo placet & habet suam promissionem. Vulgò dicitur, fames expellit lupum ex nemore: ita abstinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine. Marc. 9. Hoc genus demoniorum non eicitur, nisi in oratione & ieiunio. Sed totum ieiunium dicitur, quando non vna parte (scilicet abstinentia tantum cibariorum) ieiunamus, sed quando etiam totum corpus nostrum retinemus & abstrahimus à voluptate carnis, & cor nostrum à prauis desiderijs &c. Tale ieiunium, quod cum externo est coniunctum, exigit Christus. Postremò negari non potest, quòd verum ieiunium sæpè placauit Deum, vt non fuerit secuta pœna aliqua vel tribulatio: non quòd ieiunium nostrum possit satisfacere pro culpa & pœna eterna. hoc enim solū transfertur in Christum. Esai. 53. In eo posuit patet iniquitatē omnium nostrum. Sed de pœna temporaria, quam Deus sæpè imponit propter peccata hic in presenti vita. Sic placarunt iram Dei filij Israel congregati in Masphat, 1. Reg. 17. admonente Samuele ieiunarunt, &c. & percusserunt Philistinos atq; vicerunt. Sic rex Achab impetrauit veniam, quando ieiunauit, & ambulauit demisso capite, dormiuitq; in sacco, cū audiret terribilem Heliae prophetæ cōminationem, 3. Reg. 21. Sic Ninuitarum placant Deum, ne pœnā illis immittat. Ideò & Christus ieiunauit & triumphauit, ieiunauit & Moyses cū esset locuturus Domino. Vnde Apostolus admonet 2. Corint. 6. Exhibeamus nos sicut Dei ministros in ieiunijs & vigilijs multis &c. In omni ergò pressura veteres, quò mitigarent flagellum Dei, atq; hostes suos superarent, confugerunt ad orationem, ieiunium, eleemosynā, eo quòd hæc tria omnia alia bona opera in se comprehendunt, & Tob. 12. dicit: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesaurizare aurum: & tunc quodlibet horum operum efficax est, quando hæc tria sunt coniuncta,

sancta, & quoties patres dixerunt, orationem, ieiunium & eleemosynam satisfacere pro peccatis, intellexerunt pro pœna peccatorum, id est, mitigatione calamitatum, quas quotidie meremur propter nostra vitia, &cæt.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *De peccato superbia, & quid sit.*
2. *Quæ damna adferat homini superbia.*
3. *Quantum punitur à Deo, & semper punita est.*



Augustinus libro 2. contra Manichæum inquit: Supbia est præsumptio, qua quis foris vult videri, quod intus non est in secreto conscientie: id est, superbus vult videri iustus, sapiens, doctus, religiosus, potens, &c. attamen non est in conscientia, idè superbia est peruersus celsitudinis appetitus. hanc prohibet Apostolus ad Rom. 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Hęc superbia mater & principium omnis peccati dicitur Eccle. 10. & qui tenuerit eam, implebitur maledictis, i. vitijs. Consistit autem superbia & notatur in mente, ore & opere: mente, quando quis neminem sibi parem aut similem reputat: inuidet præstantioribus, quia illis nõ æquatur: inferioribus inuidet, ne ei æquentur: paribus, quia ei æquatur. Sed inquit Deus: Memento homo quia cinis es & puluis, & in terrã reuerteris, Gen. 3. Chryso. in Matt. hom. 78. Proficiscamur ad sepulcra: vbi purpura? vbi pecunia, vehiculũ, stipulatio satellitum &c? nihil hęc nisi ossa &c. Secundo in verbis, quibus notatur superbia. 1. Cor. 13. Si linguis loquar angelorũ, & charitatem non habuero &c. charitas nõ est superba &cæt. Tob. 4. Superbiam nunquam in verbo tuo

ll 2 aut